

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 3, 1849,
enthaltend fol. 74a–231b von Bd. 2 des Autographs (19 555-2) sowie einen Index

zu Bild Nr.

204

202

208

198

213

193

253

153

303

103

Ende

Anfang

193

legis, quotquot autem eam transferre attentaverunt, vel orbati oculis fuerunt, vel (in) amentiam inciderunt. Remitte ergo captitatem, ait, ad summum sacerdotem in Jerusalem et pete ab eo, ut mittat tibi librum legis Dei et prudentiores Iudeos, in hebraica et graeca lingua peritos, qui transferant legem. Hoc audito rex amore librorum liberavit Iudeos centum viginti millia dans pro singulo captivo centum viginti drachmas argenti et misit eos simul in Jerusalem cum pretiosis muniberibus pro decore templi, inter quae erat mensa aurea, gemmis impretiabilibus insignita, cuius crassitudo cum esset dimidii cubiti, tamen materiam superabat opus. De hac mensa et de vasis et muniberibus transmissis ab Aegypto in Jerusalem mira refert Josephus Libro Antiquitatum XII. C. 2. Pontifex ergo Eleazarus misit regi septuaginta seniores, in lege doctissimos, in multis linguis peritos, cum volumine legis, quos Philadelphus cum honore et gaudio suscepit et introduci eos jussit in domum grandem juxta mare, in qua libraria regis erat et locus ad deliberationem negotiorum, et datae sunt singulis singulae cellulae divisae ab invicem. Recepérunt autem semper unum passum legis, quem quilibet in sua cella interpretabatur, prout sibi videbatur, et sex diebus masticabant passum, in sabbato autem convenerunt praesente rege et interpretata collationaverunt et collationata in unum contulerunt, et factum est divino nutu, quod ita corformes fuerunt semper inventi, ac si simul consedissent et conflasset ex uno capite. Et isti sunt illi LXX interpretes, quorum frequenter meminit Jeronymus et alii catholici doctores. Porro Jeronymo non placent cellulae septuaginta interpretum in prologo serm. ad Desiderium episcopum, sed dicit, eos in coenaculo uno contulisse ad invicem. Augustinus autem ponit, eos in separatis cellulis suam opinionem conscripsisse et post contulisse ad invicem.

Sic Philadelphus ille librariam maximam composuit, quae tamen postea incinerata fuit, nam classis in portu stans incensa fuit, de cuius igne et libraria incensa fuit. Hic Philadelphus non fuit diu ante tempora Maccabaeorum. Post Christi autem ascensionem facta est Aegyptus abyssus illuminatorum virorum. Ibi Marcus Evangelista primus episcopus Alexandrinus primo docuit. Ibi floruerunt viri doctissimi, Anianus, Philo, Clemens, Origenes, Ammonius, Dionysius, Anatolius, Pyrrhus, Athanasius, Didymus coe-

13